



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

**Sargar, Eliseus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

Conferentia XCI. Unde desumenda est quantitas magna & parva ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41214**

habet, nec facile potest aliam procurare: ibi enim est lucrum cessans. Ita *Navar. c. 17. n. 2. Laym. & Lug. cum & apud Patrit. n. 26.*

III. Denique constans est apud omnes, etiam, qui furatur, quantumvis minimam rem, si habeat animum accipiendi quid magnum, peccare mortaliter affectu, etsi non effectu: de quo *S. Hieron. in Epist. ad Titum c. 2.* non enim id, quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur.

CONFERENTIA XCI.

Unde desumenda est quantitas magna  
& parva?

166. **S**ensus quaestionis est, undenam sciri possit aliquem peccare mortaliter vel venialiter tantum 1. Lectione librorum haereticorum? 2. percussione Clerici 3. in omissione Horarum Canonicarum 4. quanto tempore liceat laborare in die festo, ut non peccet mortaliter? Quantum quis audeat comedere die jejunii in collatione vel pertuna citra fractionem jejunii? Pro solutione supponendum est 1. magnitudinem & parvitatem rerum praeciptarum discendam esse ex ipsa re secundum se spectata: 2. ex comparatione ad totum, quod praecipitur: 3. principaliter ex ordine ad finem praecipti. v. g. quando quaeritur an omittere unam horam canonicam: laborare una hora in die festo, sit materia magna vel parva? considerandum est an secundum se sit quid magnum vel parvum? 2. an comparatione ad totum officium Canonicum vel ad totum diem festum, una hora sit quid notabile? 3. principaliter, an sit

intento

intento præcepti (cultui divino, & vacationi Religiosæ) multum vel parum noceat omittere unam horam, vel laborare unâ horâ.

Supponendum 2. in materia peccati mortalis, tertiam vel quartam partem cujuscunque totius, notabilem esse, adeoque mortalem, nisi ipsum totum sit exiguum: minorem autem quartâ parte non esse notabilem, sed ex parvitate materiæ fieri venialem, nisi secundum se seorsim sumpta valde notabilis sit, aut multum officiat fini intento præcepti. Pro horum clariori intelligentia pono ex Patritio nostro à n. 28. seqq. Responsiones.

### De Lectione librorum hæreticorum.

167. **R**esponsio I. Perpendenda est materia lecta secundum se valde magna, vel valde parva: nam 20. folia v. g. legere, sine dubio mortale est: Titulum tantum, vel unam lineam, veniale. 2. principaliter ratio habenda est finis præcepti sub excommunicatione prohibentis lectionem librorum hæreticorum, nimirum ad cavendum periculum subversionis in fide, quod maxime timendum est in lectione librorum hæreticorum.

Unde regulariter intolerabilis est sententia Tolentianæ, unam etiam vel aliam lineam legere, sufficere ad incurrendam censuram, eò quòd perfecta hæresis etiam in uno versu contineri possit. At ad hoc rectè respondet Laym. in lege, præsertim pænali, spectari id, quod comuniter, non quod rarò contingit: communiter autem non